



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

II. Quia non solùm es sine macula concepta; sed etiam alios à macula  
temporali & æterna præservas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus, effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur per Filium tuum Dominum nostrum.

2. Quia non solum es sine macula concepta; sed etiam alios à macula temporalis, & aeterna praeservas.

S. Sabbe in Men. 3. Jan. dictum est: Tu o Sponsa Numinis, aquae in vitam aeternam salientis, atque vitam eandem in cunctos homines derivantis, publicum quoddam Labrum, Umbraculumque fontanum existis. Ex quo sequitur quod 17. Jan. S. Theoph. dixit: Mariae immaculatae, & omnium Sanctissimae Virgini faulta plaudamus acclamatione: ex ipsa enim donorum caelestium quae mentem humanam excedunt scaturigo nobis promanat, ut quae est Torrens quidam bonitatis Divinae. Ex iplo etiam cultu Conceptae sine macula Virginis, quinque honorum fontes emanare docet Joannes Herolt. 1. Veram contritionem 2. Consolationem in tribulatione. 3. Quod Praelati hoc festum devotè celebrantes ab honoribus & gradibus suis nunquam cum confusione deponentur. Uti testatur S. Anselmus cum dicit. Quisquis Praesul, aut Abbas aut Praelatus es, recole diligenter hanc festivitatem, & à cunctis jube eam coli, quòd si eam toto corde amaveris, nunquam de tuo gradu cum confusione deponeris. 4. Quòd fetus impraenatarum mulierum in utero custoditur. 5. Quòd talis in exitu animae suae de corpore, nunquam à B. Virgine deferretur. Quartum bonum è Virgine procedens gravissimè Paulus Grosius S. Augustini discipulus epist. ad Eustochium asserit. Coram Deo novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devotè Mariae gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Facit hoc quod dicit Gregorius Chortophilax orat. in Deip. Praesent. Pretiosum illud reverà Donarium atque venerabile, supremum, ac mundissimum illud Cimelium Virgo in quo thesauri gratiae fuerunt depositi, in quo oeconomicae opes ineffabili ratione repositae erant, in quo nostrae salutis erant condita pignora: Vas inquam illud impollutum, locum illum luminis, conceptaculum, ex quo salutis radij orbi universo illuxerunt. Impollutum verò probat in hunc modum S. Jhes. Tolet. Archiepisc. qui vixit anno 650. lib. de Virginis partu. Quomodo Spiritu S. replente eam, non sine peccato originali fuit, cujus etiam Nativitas gloriosa Catholice in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix, & beata praedicatur? Enimverò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiva celebraretur ab universis; sed quia tam solenniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quòd nullis quando nata est subjacuit delictis,

P p

nec

nec contraxit in utero sanctificata originale delictum. Et rursus. Nullius igitur Nativitas celebratur in mundo, nisi Christi & ejus, atque B. Joannis. Joannes autem quia & ipse in utero sanctificatus legitur: sic & B. Virgo Maria nisi in utero sanctificata esset, minimè ejus Nativitas colenda esset: nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni peccato originali immunem fuisse. *Bernardin. de Busto serm. 6. de Concept. p. 2. Ezech. 44. dicitur. Porta laterit clausa, & vir non transibit per eam: turpius autem fuisset, si diabolus per peccatum transivisset per eam. S. Thom. de Villan. serm. 3. de Nativ. B. V. Non decebit Urnam mannae caelestis aliquam in se habere labem propter quod anima eum infusa est, nullam habuit ex carne neque contraxit labem peccati. De Busto l. c. Arca Noe præservata fuit ab aquis diluvij, & ferebatur super aquas, ut habetur Gen. 7. per quod datur intelligi, quòd S. Maria Arca Dei præservata fuit à diluvio peccati originalis. S. Ludov. Bertrandus serm. de Concept. In Arca Noe omnia animalia, adeoq; ea quæ naturæ impulsu inter se maximè inimica sunt, quasi percussà novæ amicitia, & pacis foedere, pacatissimè cohabitârunt, hanc verò Arcam, quam turbandi diluvij fluctus nunquam ingurgitârunt Mariam esse non ineptè arbitramur, ab aquis utpotè diluvij semper immunem. De Busto l. c. Sicut supernaturaliter facta est Mater Dei, ita condecens fuit, ut in sua Conceptione haberet prærogativam singularem. Sanctius à Porta. B. Virgo in hoc paradiso comparatur, quia in ea nunquam fuit aliquid corruptum, nec peccati maculâ infectû. Et postea. Ille paradysus apertus fuit serpenti, qui seduxit Evam, iste nolter gloriosus Paradysus, clausus fuit serpenti, nec potuit ingredi ad eam, imò ipsa est illa, quæ contrivit caput serpentis. Ioan. senia. Aliodiamus in 1. 2. D. Th. q. 81. a. 3. Speciali privilegio exempta fuit à lege communi, secundum quam omnes solo Christo excepto, peccatum originale contrahunt. Quod explicari potest exemplo sumpto Gen. 7. ex quo constat aquis diluvij fuisse opertos omnes montes, & universos homines mortuos excepto Noe, & qui cum eo erant in arca, quo tamen non obstante probabile est paradysum terrestrem adhuc stare, & ibi servatum fuisse, & non fuisse mortuum Enoch. Quid ergo mirum si B. Virginem quam Damasc. orat. de dormit. B. V. appellat novum Adami Paradysum, excipiamus ab universali inundatione peccati originalis, non obstante exceptione illâ, omnes præter Christum. S. Thom. in exposit. Salut. Ang. Ipsa purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Anton. Navareus serm. de Concept. adductus à Maraccio in notis supra S. Ioseph. Si DEUS Angelos fecit spirituum mundissimos, cur non eorum Reginam puriorem faceret? Vas mundum elegit*

Elizius

Elifæus in quo mitteretur sal sanaturum aquas Jericho: ita & Vas mundissimū & ornatum omni lapide precioso fuit B. Virgo, in quo recondideretur Christus Salus vera populorum, qui in aquis figuratur juxta illud Joannis: *Aque multe populi multi*, in malevolam animam non introibit Spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subito peccatis, alioquin derideret & subannaret diabolus in voce exultationis, quod prius possederit in suam, quam postea Deus in Matrem elegit. Non fuit Deus ut dæmon columbam assumeret ad decipiendum Evam (sub columbina enim specie sicut sub vestimentis ovium melius contegeretur simulata fraus quam sub serpentis pelle) quia columbā assumpturus erat Spiritus S. in Baptismo Christi; ita nec illam de qua nasciturus erat Filius Dei, decebat sedem unquam fuisse sathanæ.

Argumentatur pro hoc ipso & *Anselmus serm. de Concept.* Angelos alijs peccatis à peccato servavit, & Fœminam Matrem suam ab aliorum peccatis exortam servare non potuit? in æternitate consilij sui statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & tunc inferiorem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse credimus hominum peccatorum? Existimet hoc qui vult, argumentis suis probet qui vult, ijs quæ dicimus adverteretur qui vult, ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiâ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi dico, quæ scripsi non muto, *Guilielmus Parisensis Junior seu Bitontinus in Postill. major. de Concept. quest. 3.* Virgo Maria in Matrem Dei electa, erat exaltata super Angelos, sed omnes Angeli fuerunt præservati ab omni peccato, ergo à ratione fortiori & ista quæ erat superior. *S. Bernard. Senen. serm. 49. de amore glorioso ex Bartholomeo Suido sic idem deducit.* Credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quod Mater ejus fuerit plus quam Eva, & Adam qui creati fuerunt sine peccato originali. Addi potest hic ex *Bernardino de Busto serm. de Concept.* Cum omnes credant B. V. Mariam fuisse idoneam Matrem Dei, debent etiam ipsam credere fuisse immunem ab omni labe peccati: quia aliter non fuisset congrua Mater Christi. *Barthol. Pisanus de laud. B. Virg. Fructu 7.* Non fuit conveniens Matrem Dei addici morti æternali, pro quacunque mensura, ergo originali caruit. Item, Christus elegit Matrem incorruptam corporaliter, quare & spiritualiter. *Ioann. Vigerius cap. de peccato orig. lib. institut. sic habet:* Si dicatur quod D. Virgo peccatum non habuit originale, licet procellerit ab Adam secundum rationem feminalem, dicendum est quod ipsa sola speciali gratia præventa fuit, & præservata, eò quod fuit prævisa Mater Dei. *S. Ioseph Hymnografa in theototicis & alijs sæpius, vocat Virginem ab omni macula immunem. Anton. Navarras serm. 1. de Concept.* Si venialis culpa in

B. Virgine à fidelibus denegatur, quanto magis originalis ab ea semovenda: veni-  
lis quippe Dei gratiam non tollit, originalis verò cœli portas in æternum claudit.  
*Bernard. de Busto in Mariali serm. 7. de Concept.* Optabilis est animam non pollui,  
quàm corpus non incinerari, quia anima pretiosior est corpore, sed B. Virgo obti-  
nuit de corpore, quòd non incineraretur, ergò & credendum est quòd multò ma-  
gis obtinuit animæ impollutionem. *Idem l. c. ser. 8. p. 1.* Cùm Deus elegerit inte-  
gritatem, & puritatem uteri Virginalis, quem nunquam voluit pollui, sed semper  
intactum ab omni pollutione servari, ut in spiritu vidit *Ezechiel Propbeta sui libri*  
*44. cap.* ergò à fortiori credendum est ipsum elegerit in Virgine puritatem inter-  
nalem animæ ejus innocentis. Ideò *Ambr. super Lucam ait de B. V.* Virgo erat non  
solum corpore sed & mente, quod falsum est si anima ejus per peccatum origi-  
nale esset fornicata. *Marsilius illa verba, Tota pulchra es applicans ecclesie 2. sent. q. 29. a. 2.*  
Sponsa in aliqua sui parte debet esse tota pulchra, & non esset hoc in aliqua parte,  
nisi Virgo ab originali fuisset præservata, ergò. Minor patet. Quia si fuisset aliquo  
tempore sub peccato originali, tunc illo tempore fuisset maculata, ergò non esset  
Sponsa tota pulchra in Virgine, nec in Christo, quia ille est Sponsus. Unde illi cavit  
*Petrus Apollinaris de Nativit.*

*Salve Virgo Parens læbes quam nulla vetustè,  
Per tor ducta gradus criminis implicuit.*

*Marsil. 2. sent. q. 20. a. 2.* Magis decuit Deum Virginem Matrem præservare  
à macula mentis, quàm à dolore corporis. Patet. Quia anima hominis est præstan-  
tior corpore, item quia anima est expressior imago Trinitatis, item quia macula  
mentis sine proportionem gravior est dolore carnis.

Sed rursus *Bernardin. de Busto serm. 6. de Concept. p. 1. argumentatur.* Locus de-  
bet esse proportionatus locato, ut ait *philosophus, 2. 2. de anima & 4. Phys.*  
Facit ad hoc illud quod inquit *glossa in c. dudum de dec. 1. dicens.* Qualia sunt præ-  
dicata, talia convenit esse subjecta: sed Virgo gloriosa habitatio Filij Dei, unde  
ipsa inquit *Eccles. 24. Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo:* ergo debuit esse  
proportionata ipsi habitatori, qui fuit sine ulla peccati macula, purissimo ergò  
Filio non debuit esse Mater nisi purissima, nec decuit Dei sapientiam sordidatum  
à peccato, & contaminatum sibi habitaculum deputare. *Barthol. Pisanus de laud.*  
*Virg. lib. 1. fructu 7.* Christus dedit majora dona, & minus necessaria Virgini, patet,  
quia eam suam Matrem fecit, ergò & minora dedit, scilicet præservationem ab  
originali. Item præservavit Virginem à pœna Evæ, ergò & à culpa. *Paulus de Luca.*

B. Virgo

Virgo non fuit resoluta in pulverem, ergo nec concepta per originalem culpam: nam constat quod tabernaculo Christi plus derogat peccati corruptio, quam in pulverem resolutio, *Leonardus Jenogarolis in epist. de d. eff. sui de immac. Concept. ad Sixtum* IV. Nullus in Mariæ laudes prorumpens Matrem eam dicit Dei, simulque fuisse quondam Filiam diaboli: Num Matrem dices eam gratiæ, quæ antea inimica largitori gratiæ? nunquid viam ad vitam, quæ & ipsa quandoque ignoravit viam? spem peccantium & medium attollendo omnia peccata, quæ peccatam gustaverit? *Armandus Richelius Card. in Catechismo lect. 24.* B. Virgo dicitur benedicta in mulieribus, quia nulla fuit, nec unquã erit sine peccati macula concepta, cum plenitudine gratiæ, sicut ipsa. *Catechism. Clem. 8.* Gratiã plena, quia quoad primũ gratiæ effectum, scilicet peccati deletionẽ Virgo sanctissima nunquam habuit maculam peccati originalis, aut actualis, mortalis vel venialis. *Gratiani in Catechismo Trigesimo homilario hom. 27.* Gratiã plena, hoc est singulariter ab æterno electa Deo omnipotenti, atque in Conceptione tua custodita admirando & singulari modo ab omni macula peccati, tam originalis quam tuæ ipsius personæ. *S. Bonav. tom. 3. serm. 2. de B. Virgine.* Domina nostra fuit plena gratiã præveniente in sua sanctificatione, gratiã scilicet præservativã contra foeditatem culpæ.

*Barth. Pisanus de laud. B. V. lib. 1. fructu 7.* Non minùs est digna Maria, quam aliquis qui in puris naturalibus crearetur, sed ille non haberet peccatum, igitur nec Maria habuit. *Bern. de Busto serm. 5. de Concept. p. 1.* Cùm Angelis Dominus dederit innocentiam in creatione illorum, ut habet *2. sent. d. 4. & per Aug. 8. de Civit.* & similiter primi parentes fuerunt originali vestitu decorati, ut habetur *à Theologis in 2. d. 29. & ab Ansel. lib. 1. de Conceptu,* sequitur quod si dicta gratia non fuisset data B. Virgini, suis servis inferior illa extitisset. *Pisanus l. c.* Sapiens debet eligere quod est melius & perfectius: sed Christus est Sapientia increata, & cùm melius sit & eligibilius habere Matrem sine omni macula, quam cum macula, & potuit eam sic habere, igitur &c. *De Busto l. c.* Cùm Christus ab æterno elegerit B. V. in Matrem juxta illud quod canitur: *Elegit eam Deus, & præelegit eam.* Concludendum est, quod ipse cui omnia futura erant præsentia, à cunctis malis & damnis peccati originalis eã voluit præservare ut boni Filij debitum adimpleret &c. Quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat, & disponit, ut ad illud ad quod eliguntur inveniatur idonei, juxta illud *1. ad Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros novi testamenti,* sapiens enim regulator ea quæ sunt ad finem aliquem regulare debet secundum ordinem ipsius finis juxta dictum *Philos. 2. Metaph. & probatur per 6. Prodest.*

23. 4. Quia Princeps assumendo aliquem ad officium suum, dicitur cum eo dispensare velle, meliori modo quo potest, idem qui vult consequens, vult etiam omne necessarium antecedens, & crimen est sacrilegij dubitare an is dignus sit, quem Imperator elegerit: sed gloriosa Virgo Maria fuit electa Divinitus ab aeterno ut esset Mater Dei, ipsa dicente Eccl. 24. *Ab initio & ante secula creata sum. Et Prov. 8. Ab aeterno ordinata sum &c.* Quae omnia attribuit Ecclesia B. Virgini, ergo Deus per gratiam suam, eam ad tam mirabile opus praeservavit. *Bernardin. de Busto serm. 2. de Concept. p. 3.* Quis hominum qui si posset sponsam suam facere, illam non absq; omni macula procrearet. *S. Th. de Villan. serm. 3. de Nativ. Dom.* In utero sanctissima & in Conceptione sanctissima. Num enim decebat Sanctuarium Dei, Domum sapientiae, Reliquarium Spiritus S. Urnam mannae caelestis, aliquam in se habere labem? *Proclus orat. 6.* ait Mariam ex puro formatam luto, & si quid valet argumentatio *S. Aug.* hoc probat *lib. 5. contr. Julianum cap. 9.* Illud sane magnum verumque duxisti cum posuisses testimonium Apostoli dicentis: *Qui peccatum non fecit,* notandum esse quod judicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum, ut doceret inquit, quia qui non fecit, habere non potuit, omnino verissimum est. Profecit enim peccatum major fecisset si parvulus habuisset: nam propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu. *Bern. de Busto serm. 7. de Concept. p. 1.* Decens fuit & consonum rationi, ut Sponsa castissima Dei nunquam careret Sponsi sui gratia, ita ut ne per momentum fuisset benedicta Virgo concepta, pro illo tunc non fuisset ejus amica sed inimica. *S. Chrysologus serm. de Annunt. 140.* Maria Christo pignorata dum fieret in utero, *De Busto l. c.* Si Deus praeservavit, & defendit Virginem gloriosam a veniali peccato, quod non privat gratia Dei, & stare potest cum charitate, ut dicunt *Theologi in 4. d. 21.* & hoc ut esset idonea Mater sua, & ob amorem quem ipse ab aeterno portavit: ergo inconveniens videtur credere quod permisit eam labi in originali peccato privante gratia Divina, non enim esset verus amor, si quis defenderet amicum suum ne vel modicum leviter verberaretur, quem tamen per gulam suspendi vel capite permetteret detruncari. *S. Th. 3. p. q. 27. a. 2. locum Job 3. de diabolo exponit.* Expectet lucem, & non videat, nec ortum sui gentis aurora. Lucem id est Christum & non videat quia nihil inquinatum incurrit in Sapientiam, quae est Caritas ut dicitur *Sap. 7.* Nec ortum surgentis Aurorae id est B. Virginis, quae in suo

suo ortu à peccato originali fuit immunis. Ortum etiam vult dici Conceptionem in cap. 1. *Matthæi*. Nam si de Nativitate intelligit, nihil illi supra *Jeremiam* aut *Joannem* tribuit, imò infra. *S. Thom. de Villan. serm. 3. de Nativ. B. V.* Non decebat Domum sapientie aliquā in se habere labem, propter quod animæ cum infunderetur nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. *De Vusto l. c.* Quis in lecto fordidio, & immunditijs pleno jacere potius assentiret, quàm in strato mundissimo, & ab omnibus immunditijs elongato, nemo autem præsumitur carnem suam odio habere, ut inquit *Glossa in Rubrica parag. in jus voc. B.* igitur Maria quia Thalamus fuit Divinæ gloriæ, non fuit aliqua peccati forde polluta.

*S. Ludov. Bertrandus serm. 4. de Concept. pag. 4.* Domina nostra in sua Conceptione ab originali labe præservata fuit: Hæc est itaque Rubus ille Moyses, qui ardebat & non consumebatur, ardebat hæc more reliquorum ab Adamo descendentium ex femine virili, & ardore concupiscentiæ fuit concepta, verum incombusta ac de communi peccati originalis incendio remansit illæsa. *Ambr. Catharius disp. de Concept. B. V. lib. 1. ita habet.* Tu Virgo Rubus ille ardens & incombustus, quem Moyses videns admiratur, in qua re non minus corporis, quam mentis perpetuam tuam ac laudabilem Virginitatem agnovit Ecclesia. *Hieron. Lucea sic argumentatur.* Populo antiquo, quia ex illo erat nasciturus Deus, abstulit occasiones peccatorum, ut essent sancti, aded ut pedes sanctorum servaverit, eò imple illis præverit mundando iter, & hoc solum, quia ex illis nasciturus erat, multo id magis valet in Virgine. *Guiliel. Bitontinus l. c.* Virgo Maria debebat fieri speciale habitaculum Dei, ergo debebat specialius præparari, sed si concepta fuisset in peccato originali, non fuisset specialiter præparata. Oratio est Ecclesiæ: *Corpus & animam Spiritu S. cooperante præparasti.* *Catharius lib. 2. disp. de innac. Concept.* Audi quæso orationem quam cōsulto & ex certa scientia recipit jam Ecclesia, & agnosce quàm perspicuè declarat, quod dicimus. *Deus qui per immaculatam Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum &c.* *De Vusto ser. 8. de Concept. p. 1. additis s. Antonini verbis.* Ordinans vas ad sacrificium altaris, conservat ipsum à maculis, hoc enim valde decens, sed Virgo Maria fuit Vas Deitatis. Ergo. *Th. Argentinensis lib. 3. d. 3. c. 1.* Præceptum Divinum (in hunc sensum ait) ut Filius à malis liberet Parentes si possit ergo. *Ambr. Tancisinus in sabbatis consid. 2. concl. 3.* Servavit Deus populū suum ab aquis maris rubri &c. & quomodo Mariam Matrem propriam ab omni culpa non præservavisset, propter dignitatem Maternitatis suæ? *S. Bonav. in 4. d. 3. a. 3. q. 1.* Congruum fuit ut illa quæ placuit Altissimo, aded ut fieret Sponsa, & Mater Filij Unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut est intemerata carne. *Hermannus de Schilto*

*Schild's tract. de Concept.* Peccatum originale tres habet maculas. Prima est quæ facit hominem naturâ filium iræ, idè secundum Apoll. ad Ephes. 2. *Omnes nascimur filij iræ.* Si igitur B. Virgo contraxisset peccatum originale, tunc per tempus vel instans fuisset filia iræ, quod est inconveniens. Secunda macula est, quæ facit hominem sub potestate Sathanæ, quod patet, quia per exorcismum repellitur Sathanas à baptizandis, antequàm per baptismum tollatur originale peccatum. Undè *Greg. hom. 27.* dicit, quòd sacerdotes in exorcismo dæmonia eijciunt: sed si fuisset B. V. in peccato originali concepta, tunc fuisset pro aliquo momento in potestate Sathanæ. *De Busto l. c.* Quod est omni laude dignissimum, nullâ contumeliâ est afficiendum, nec illi laus innocentie deneganda, sed B. Virgo: ergo. Item *Ezech. 44.* dicitur: *Porta hec clausa erit & non aperietur,* quod verum non esset si aliquando peccato fuisset aperta.

Restat, quod prætabimus ubi recitaverimus certum, per inquisitiones probatissimum, per juramenta testatissimum miraculum, per quod Virgo à mortuis iussit redire hominem, ut prædicaret suam gloriam, quod refert *Joan. Serenus Episcopus Acernensis lib. 2. de Concept. cap. 13.* Occisus fuit quidam Manresæ in Catalonia Hispaniæ provincia Virgini devotissimus, sed minus bene de illius puritate Conceptionis sentiens, dictus Franciscus Mulet in Jure Baccalaureus, hic antequàm humaretur resurrexit, & novem horas vixit, quo tempore sæpius testatus est, se ad hoc fuisse iterum ad vitam vocatû, ut immaculatæ Deip. Conceptionis veritatem testaretur, cui in vita adversatus fuerat. Proximum huic ex India afferro, quod accidit anno 1531. in Mexico in loco dicto Topejacac Episcopatum Mexicanum administrante Joanne Zamarraga. Historiam refert *Nieremberg. in dissertationibus Epistolicis,* imaginem appellant Hispani, Virginis Mexicanæ de Guadalupe. Indo Christiano, Joanni Didaco homini pauperi, quodam loco Virgo se conspicuam dedit, addito ut moneret Episcopum, ut eo loci sibi templum extrueret: retulit Indus Episcopo, sed fides negabatur afferenti, nisi aliquo signo probaret. Retulit id ipsum Indus Virgini eodem loci comparenti: iussit ergo Virgo Indum carpere rosas, & pulcherrimos flores, quos subito manu Divinâ in colle sterili produxit, decerpere & Episcopo deferre. Paret Indus, & floribus palliolum implet, defertque Episcopo, famuli accurrentes Episcopi, mirati flores, sed nemo quibquam contingere poterat, veluti ex aère formati fuissent. Indus tandem pervenit ad Episcopum, & dum aperit pallium, ut in pavementum flores effundat, apparuit in iplo pallio cœlesti manu depicta imago Conceptionis pulcherrima, quam & Episcopus, & domestici statim profundè venerati. Imago longitudo

sex palmos excedit, colore quoad faciem triticeo, & albicante, manus junctæ ad pectus, calcei pars quæ apparet, fusca est, cingulum ferrugineum purpurascens, tunica talaris colore roseo candenti cum densioribus umbris stringitur, ad collum fibula aurea, intra quam circulus niger, & in medio ejus crucis figura, pallium Virginis cæruleum, & planè cœlestis coloris circumquaq; aurea extremitate clausum, ac stellulis conspersum, quæ numerantur 46. in capite corona aurea, sub pedibus luna semiplena, tota imago aureis radijs veluti soli immersa, lunæ subest Angelus stans, ac veluti imaginem sustentans. Omnes radij centum, & ex ijs duodecim majores qui caput cingunt, hæc deinde per miracula plura beneficia in mortales spargit manu plena.

Potest hic locum habere quod scripsit *Marcellus in Martino V.* etsi judiciorum Dei nolimus agere interpretem. Tempore Martini V. quidam Tolosani studij Doctor determinavit Virginem originali peccato fuisse corruptam, & coram Pontifice voluit hoc publicâ disputatione tueri, & jam venit dies indicta, sed ille repertus mortuus, interiora in ventre non habens. Ut docet *August. lib. de gratia & natura.* Non decuit B.V. peccare venialiter, etiamsi statim fuisset ab ipso liberanda, itaq; nec decuit peccare originaliter. Pulchrè idem *August. serm. de Assumpt.* Dandum est B. Virgini quod congruit rationi, & tantæ sanctitati, & sicut licet tanquam speciale dixerit de Christo Psalmista: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* etiam de hoc Virgo participavit. Ita licet: Non est qui faciat bonum usque ad Christum, etiam Virginem sinamus in hoc gaudere. Adducunt aliqui verba *Ctesiphontis discipuli s. Jacobi,* ex Arabico in latinum traducta, quæ ob certas causas omittimus, & illi substituiimus. *Presbyteri Achaze* in Vita S. Andreæ referunt, quod is è cruce jam biduo pendens inter cœtera hæc etiam de B. Virgine dixerit: Sicut primus homo ex terra immaculata formatus, ita & Christus ex Virgine immaculata. Hæc refert *Cancell. in Annal. Virg. anno Christi 69.* Item *August. contra Julianum lib. 5.* dat hoc axioma: Qui non peccavit actualiter, non peccavit originaliter. *Et lib. contra 5. hæreses hæresis 3.* Originale repugnat fini propter quem facta B. Virgo. *Et ibid.* Sicut B. V. non potuit inquinare Filium, ita nec inquinari dum fieret. *Et serm. de Nativit. Virg.* Mox ut in mundum venit Virgo, omnis boni virtute perfectè resplenduit, quod non videtur locutus de Nativitate, quia ante illam replendisset sanctificata, etiamsi contraxisset originale. *Et hoc ut, aut potius apud eum Sophronius serm. de Assumpt. B. Virg.* Totum ad gloriam laudis Christi pertinet, quidquid impenditur Genitrici. *Et Ambr. in Luc. 1.* Maluit Christus sibi aliquid derogari, quam Matri suæ. Undè *Anselmus ad Episcopos Angliæ.* Non est verus ama-

tor Virginis, qui celebrare respuit festum Conceptionis. Versus aliquot Poëta Anonymi apponere loco epiphonematis liceat.

*Ducet Jesseam primævo crimine prolem,  
Communiquæ ream nascentum lege teneri,  
Qui patet obscurum solem, cui Cynthia surgat  
Decolor, & puro vitiatum lumen Eoo,  
Qui nivibus candorem adimat, gemmisq; nitorem,  
Et cum nocte diem velo confundat eodem.  
Popula par celo, Solyms preclata puellis  
Conciperis meliore satû, diuon labis asuta  
Reseia, calcatis ad vitæ limina noxis  
Pergis ovans, stygiosq; premis secura dracones.*

Purior Virgo est Joanne Baptistâ, & Jeremiâ. Undè S. Patriarcha Dominicus tract. Corp. Christi cont. Albingen. themate *Tota pulehra es, ait.* Sicut primus Adam fuit ex terra Virginea, & nunquam maledicta formatus, ita decuit secundo Adam fieri. *Ambrosij est illud lib. de Virgîn.* In qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. Sed & S. Vincentij ser. 2. de Nativit. Non credatis quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in celo celebrârunt festum Conceptionis. S. Th. p. 1. q. 27. a. 2. *Tota pulehra es, & macula non est in te, ergo in ea nullius peccati fuit macula. Et ante S. Thom. M. sentent. in 3. d. 3. ita dixit: Credi oportet juxta sanctorum attestacionis convenientiam, carnem Verbi priusquam conciperetur fuisse peccato obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro: Spiritus S. operatione mundatam, ita ut ab omni contagio immunis uniretur Verbo. Mariam quoque totum Spiritus S. præueniens à peccato prorsus purgavit. Hieron. ad cap. 10. Ecclesiastice. Beata Virgo ob omnimodam à peccato immunitatem, omnibus ingenuis & verè liberis, quibus peccatum non est dominatum, liberior fuit. Et certè Virgo ut Alb. M. super Missus est, in causa, in substantia, in efficientia tam activa, quam passiva fuit omninò liberrima. Dion. Carth. lib. 1. de laud. Virg. art. 1. Per Virginem universum genus humanum à servitute peccati, à jugo & subjectione diaboli, à conceptionibus ex peccato originali secutis, atque ab obligationibus æternæ damnationis est liberatum, si enim verè liberi sunt quos Filius liberavit, quantò magis verè est libera, quæ Mater est tanti Liberatoris? & si ex laudatissima Apostoli ad Corinthios voce, ubi Spiritus Domini, ibi libertas, quomodò à servitute omnis peccati libera*

non fuit? (inquit Anselmus) quæ olim peccatorum Propitiatori Aula, in qua, & ex qua homo fieret, Spiritus S. præsentia & operatione constructa est? Pro immaculata Virgine est autoritas Pontificum. Innocentius VII. Joannem Montesonem qui in suis concionibus conceptam in peccato prædicavit, jussit psalmodiam recantare, ut scribit Maracellus in Junoc. VII. Ibid. in Martino Julio XI. anno 1511. Septemb. 10. Monialium sub titulo Conceptionis Immaculatae instituit Religionem. Ibid. in Julio II. Leo X. plurima ædificavit templa, in honorem hujus mysterii, & indulgentias non solum Fratribus minoribus, & Monialibus Conceptionis, sed etiam alijs Religionibus impendit. Ibid. Clemens VII. Officium Conceptionis Immaculatae à Francisco Quinonio Cardinali ordinatum approbavit. Idem Pius V. cum alia festa sustulisset, festum Immaculatae Conceptionis per universam Ecclesiam celebrari præcepit, missalique, breviario, & calendario à se publicatis inseruit. Ibid. Sixtus V. omnibus ac singulis Ordinis Immaculatae Conceptionis Monialibus & utriusque sexus fidelibus, visitantibus Ecclesias monasteriorum prædicatorum Monialium in festo Conceptionis Virginis Mariæ Indulgentiam plenariam perpetuam est elargitus. Ibid. Paulus V. voluit omnibus sabbatis non impeditis dici officium, & Missam à Minoritis de Immac. Concept. & indulgentias concessit omnibus fidelibus recitantibus antiphonam: *Hæc est Virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpe fuit, cum sua oratione ibid.* Undè optime Cajeta in opusculo Leoni X. dicato. Ut ad salvandum illum scripturæ locum: *Mors in omnes transit, sufficit intelligere mortis debitum, etsi quis actu non moriatur: ita sufficere ad salvandum illum scripturæ locum: In quo omnes peccaverunt, debitum contrahendi in anima peccati, etsi ob protectionem gratiæ Christi, actu non contrahatur.* Et certè ut est apud Hippolytum Maratium in lib. de Pontificibus Marianis, Rome edito cum approb. Adrianus IV. de Immaculata Concept. ad Petrum Pontinicum scripsit. Alexander V. Conceptionem immaculatam antequam fuisset Pontifex calamo defendit, & pro eadem constitutionem edidit factus Pontifex. Defendit eandem Nicolaus V. & Sixtus IV. qui missam & officium ejusdem approbavit, quæ etiam confirmavit Innocentius VII., & Alexander VI. Sanctimonialibus immaculatae Conceptionis Julius II. confirmat. Leo X. eidem Immaculatae Conceptæ multa templa extruxit. Adrianus VI. approbavit Confraternitatem Immaculatae Conceptionis. Clemens VII. Officium Immaculatae Conceptionis approbavit, quod ipsum fecit Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius IV. Similibus favoribus Conceptionem Immaculatam testati Greg. XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Clemens IX. Numismata ejus cum inscriptione *Beata*

Maria sine originali macula concepta, distribuit, & Octavam Conceptionis celebrandam ferè toti Ecclesiæ impoluit.

Verùm favores omnium Antecessorum quasi in compendium collegit ac firmavit anno 1661, Octob. 8. Alex. VII. bullâ incipiente. *Solllicitudo omnium Ecclesiarum*. Ubi testatur non novam esse quampiam, sed antiquâ sententiam, in primo instanti creationis & infusionis animæ in corpus SS. Virginis fuisse gratiâ speciali præservatam ab originali macula, idque intuitu meritorum Christi. Quem piûm sensum cultumque crevisse post editas Sixti IV. constitutiones, post datas approbationes, & indulgentias Religionibus ac Confraternitatibus sub nomine Immaculatæ Conceptionis erectis, accessisse huic piæ sententiæ multas Academiâs præcipuas, ac ferè omnes Catholicas ibidem testatur ex occasione sententiæ oppositæ, scandala non absque magna Dei offensa fuisse exorta, addit idem Pontifex, hunc cultum immaculatæ conceptæ semel in Ecclesiâ institutum, fuisse nunquam mutatum, eumque ipsemet laudat, & omnia innovat à Sede Apostolica, & Concilio Tridentino edita in favorem piæ sententiæ, ac ejus festivitatis. Quod verò attinet *Concilium Tridentinum*, quid illud in suis actis originalibus non impressis de hac re habeat, qui velit legat. Illud tertio deniq; omitti *Romana Basilica S. Petri* eximium in Virginem immaculatè conceptam non debuit. Capellam Conceptioni Virgineæ sacram habet, uti scribitur in directorio ejus Ecclesiæ quotannis à Magistro ceremoniarum edi solito, quid autem velit nomen sibi Capella, facile intelliget, qui sciverit Papam & Cardinales jam pro hoc, jam pro illo festo solere Capellam habere, eum scilicet festum illud singulari & publico exornant conventu. Canit denique tota Ecclesia Immaculatè Conceptam. Cæterum de Immaculata Concept. opinionis piæ, quæ nunc est ubi sensum attingit S. Thom. in 1. sent. dist. 44. a 3. ad 3. ut est in omnibus editionibus excepta *Antverpiensis anni 1613.* sic ait. Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius potest esse in rebus creatis sine ulla contagione peccati, & talis fuit puritas B. Mariæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis. Anno 1480. *Beatrix de Sylva* erexit Congregationem Sororum sub nomine Virginis Immaculatæ, deferrebant imaginem in pallio S. Virginis, radijs amictam, stellis coronatam, quæ in ulnis infantulum suum deferbat: etenim Virgo sole statim ab initio amicta, statim stellis coronata. *Gregorius XV.* confirmavit Congregationem Equitum sub titulo Conceptionis, *ibid. Urbanus VIII.* Christianæ militiæ Religiosum Ordinem sub eodem titulo instituit, *ibid. Sed etiam Græca Eccles. laudat Jo. Geometriam qui scripsit hym. 3.*

*Gaude concretum sublimi corpus olympa,  
Et vitij nostri crimine Virgo carens.  
Gaude que Christo corpus mortale dedisti,  
Gaude primævi libera labe Patris.*

*ÿsa. Theſſalonicen. orat. de Præſent.* Sola puriſſima Propheticum illud evitare poſſet: In iniquitatibus conceptus ſum, poſſetque de ſe ipſa affirmare. Non in peccatis conceptus me mater mea. *Emmanuel Paleologus Imp. orat. de dormit. B. Virg.* Simul atque concepta fuit B. Virgo, Deus illam gratiã implebat, qui ſibi futuram Matrem præſtituerat: imò verò cum illa erat ipſe, antequàm nata eſſet, nunquã illi non fuit conjunctus; ſtatim atque in ſteriliſ Matris utero cœpit eſſe &c. Maria fuit ſemper ab omni peccato immunis. Ad hoc fortè reſpexit *S. Germanus Conſtantinop. cum orat. in Annunt.* appellat S. Virginem, Superintemeratam & Superimmaculatam omni ex parte. *Et rursus,* Macula non eſt in te. *S. Bonav. in Pſalt. M. quinquaginta.* Non eſt Virgo in ortu ſuo deſlorata, ſcuto Dei eſt obumbrata. *Exod. 7.* tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubium. S. Virginem paſſim P. P. Virgam Aaronis vocant, hæc non devoratur à ſerpentibus Pharaonis, ſed ipſa devorat ſerpentes. *Ipſa conteret caput tuum.* Ita neque figuram Virginis permiſit devorari, de qua erat floſ exiturus Chriſtus. *4. Reg. 19.* oranti pro Jeruſalem Ezechia, ſic Deus reſpondit: *Quæ deprecatus es me ſuper Sennacheribo Rege Aſſyriorum audivi.* Deindè ſic de Sennacheribo dicit Sioni & Jeruſolymæ. *Quia ſp̄revit te & ſubſannavit te, Virgo Filia Sion, poſt tergum tuum caput movet Filia Jeruſalem. Non ingreditur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus. Quare protegam urbem hanc propter me, & propter David ſervum meum.* Virgo eſt Jeruſalem, hanc Deus protegit propter ſe ipſum, quia non decurrit Matrem ſubjici ulli poteſtati hoſtium, ullã infamiã notari. *Atbanas. Alex. in ſerm. deſcript. S. Virg. Deip.* Hæc eſt Virgo incorrupta, atque ab omni labe pura, hæc eſt Cœlum ſecundum nunquã coïnquinatũ. *Profecto Ephes. 5.* S. Paulus ait Ephelijs. *Turpitudò nec nominetur in vobis,* ita eorum dilexit puritatem, dedecet ſanctos turpiloquium, an Matrem deceret peccati turpitudò? *S. Chryſoſt. in Liturgia* vocat eam Dominam incontaminatam. *Bernard. in Salve Sanctam Sanctorum. Cantic. 2.* *Læva ejus ſub capite meo & dextra ejus amplexabitur me.* Quid eſt læva? *Caffian. collat. 6.* In læva ſcribuntur & conduntur peccata, in læva murmurant poenæ, & officinæ poenarum. Caput Virginis erat Conceptio, ſub capite non ſupra caput erat læva, quia dextera in qua delectationes uſq; in finem amplexata. *Guilielm. ſerm. de Con-*

cept. ad illud Cantic. 8. *Que est ista que ascendit per desertum, velut virgula fumi, quod legit S. Ambrosius.* Sicut vitis propago fumo incensa. *Addit.* Vitis dum floret solo odore fugat, & occidit serpentes, ita & hæc Virgo sanctissima in sua intemerata Conceptione, tantam redolevit charissimam abundantiam, quod in ea penitus fuerit extinctum venenum antiqui serpentis, videlicet peccatum originale, à quo penitus præservata fuit ex specialissimo Dei dono. *Anselm. cur Deus hom. cap. 10.* Indiguit tamen Virgo redemptione, & passione Christi, non propter peccatum quod ei infuerit, sed propter peccatum quod inuisisset; nisi ipsemet ex speciali privilegio illam præservavisset.

Claudatur hic discursus eo sensu quem reliquit nobis *Tostatus Abulensis paradoxo l. cap. 26. Ibid. cap. 58.* Domina nostra Virgo maculam originale nullatenus contraxit. Fuit B. Virgo à peccati originalis macula prorsus immunis, *Et paulo post, postquam retulit lites in hac materia inter quasdam, ne rem esse definitam ita concludat.* Consultarem cuilibet Catholico bonæ affectionis de disputativa hujus questionis investigatione, se nullatenus intromittere. Et quia in rebus dubijs quod tutius & favorabilius est eligendum: & cum tutius sit atque favorabilius, & sine præjudicio alicujus veritatis cognitæ, aut apparentis Dominam nostram prorsus ab omni originali labe fuisse immunem, rectè eligere debemus, asserere eam sine originali peccato fuisse conceptam.

3. Quia tuo felicissimo Natali non solum Parentes tuos consolata es, sed etiam omnes peccatores.

Nativitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo, carit *Eccl. salatina.* Nam ut *S. Method. in hyppap.* Cum Maria indefinens læritia venit, *Vincent. Beluac. lib. 6. cap. 65. in spec. historie* narrat quendam Eremitam sanctum certa nocte harmoniam audivisse Angelorum, requisivit causam: Angelus respondit: hanc noctem præcedere illum diem, quo nata Mater Dei, hæc vobis hominibus licet ignota, (non enim ibi tunc Nativitatis Virginæ colebatur festum) nota nobis Angelis. *S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. ex veteri traditione* narrat in ovili natam, quia sicut ovicula est Virgo singularis inter omnes mitis, & non solum mitis ipsa, sed & Filium mitem Agnum dedit. *Idem orat. de Nativit. B. Virg.* Virgo est Agna et qua pascor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis. Ita ut monet *S. virgin Hieropolita: orat. in Nativit. B. V.* In hoc Nativitatis festo spirituali buccina clangimus, etenim quæ præsentis die ex Davidico femine nascitur, vitæ Mater est, *Rev.*